

Hoc tantum dicam , quod nostro instituto servit , hoc est ut de libris Justiniani agamus : quemadmodum hortulani violas & caryophyllos suos credunt svaviorem emittere odorem , si ad radices eorum allia & cepas plantent , qvandoqvidem acor & asperitas quam cepæ habent , hoc modo se purgat & consumitur : ita juris Canonici & Sophistarum glossatorum fœtor libris Justiniani junctus omnem hactenus invidiam & indignationem , ob longos processus & lites sustinuit , quasi in ipsis solum causa esset , libri autem Pandectarum interim in pretio , honore & existimatione longe majore manserunt . Verum enim vero si hæc omnia accurate considerentur , ad nostrum institutum directe non faciunt . Nobis enim propositum non est , vitia & corruptelas demonstrare , quæ aliunde exercitio legum supervenerunt , sed intima potius vitia declarare , quæ naturaliter libris Tribohiani , & eorum disciplinæ insunt .

CAP. XV.

Modus docendi Doctorum
nostrī seculi.

JAm porro his relictis de alio eventu dicendum est , qvem quintum ponimus , hoc est de tot controversiis & contentione- bus ,